

138

DISPUTATIO INAUGURALIS

13.

DE

HOMINE PER MOR-
TEM A PECCATIS JUSTIFI-
CATO,

Ex Rom. VI, 7.

PRO LICENTIA

Gradum DOCTORATUS consequendi,

PRAESIDE

CASPARE LOESCHERO,

SS. Th. Doct. Prof. Publ. Consist. Eccles.

Assessore Sen. Eccles. Witteb. Pastore & Circ.

Elect. Superint. Generali,

*In Acad. Witteb. solenniter
defensa*

à

M. SIGISMUNDO RICHTERO,

Chemnicensi Misnico,

SS. Theol. Candid. & Ecclesiae Radebergensis Pastore

Primario, nec non Ephoriae Dresdensis

Adjuncto,

XVII. Octobr. A. O. R. M D C C I.

WITTEMBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

DISPUTATIO IN ACADEMIA

HOMINE PER MOR-
TEM A PECCATIS IUSTIFI-

CATO

EX ROM. VI. 7.

PRO-MICENTIA

JOHANNES DOCTOR

PRÆSIDENS

CASPARUS LOESSCHERUS

SS. THEOL. DOCT. PUBL. CONS. ECCLES.
ALLOBROG. ECCLES. WIND. PASTOR & C.

THEOL. SUPPLIC. GENERALIS

ANNO 1717

DEFENSUS

MAGISTRUS RICHARDUS

SS. THEOL. DOCT. PUBL. CONS. ECCLES.
PRÆSIDENS

DEFENSUS

ANNO 1717

CHRISTIANUS SCHROEDTERI



J J!

Homo per mortem à peccatis justificatus,
ex Rom. VI. 7.

§. I.



Um Articulus de Justificatione
Acropolis Theologiæ orthodoxæ
fit, navanda in primis opera est,
ut salvus atque integer in Scholis
& Ecclesiis conservetur, & ab
Adversariorum Strophis defen-
datur. Fieri autem illud commo-
dius nequit, quàm, si quæ Dicta

Scripturæ in Codice Sacro de eodem reperiuntur
agentia, studiosè expendantur, & quæ Spiritus Sancti
mens atque sententia sit, quantâ potest fieri accura-
tione, exponatur. Hoc enim modò & veritas or-
thodoxa firmissimè confirmatur, &, quæ eidem op-
posita est, sententia erronea manifestatur, atque re-
futatur.

§. II. Sunt autem illa Dicta non unius Generis.
Quædam enim loquuntur de Justificatione coram ho-
minibus, quæ est Jac. II, 21. Quædam de Justifica-
tio-

tione coram Deo. Talia reperiuntur Rom. III, 24. 28. cap. IV, 5. XI, 6. Gal. II, 16. Eph. II, 8. 9. 2. Tim. I 9. Tit. III, 5. Alia loquuntur de Justificatione ante mortem hominis, ubi locum habet Articulus Regenerationis, Conversionis & Justificationis in specie ita appellata: Alia verò agunt de Justificatione in morte & post mortem, quorum suò modò pertinet Articulus de hominis morte. Aliò tempore actum à nobis est de Justificatione ante mortem; sed nunc acturi sumus de eadem in morte & post mortem. Nam de eà locutus est Paulus Rom. VI, 7. Quem locum aliquali studio per Divinam Gratiam pertractabimus

§. III. Locus ipse sequens est: *ὁ γὰρ ἀποθνήσκων ἀδικαίωτας ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας.* Vulg. *Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato.* Th. Beza: *Etenim qui mortuus est, liberatus est à peccato.* Sebastianus Schmidius, multa cæterum in Vulgatò mutans & emendans, nihil hic mutavit, sed eadem verba in eodem ordine retinuit, quæ Vulgatus habet. Neque malè. Præferendus enim hoc in loco Bezæ Vulgatus est, quia Beza sufficientem rationem non habuit, cur locò Justificationis liberationem in genere poneret.

§. IV. Poterat hîc omnium primo quæri, de cuius morte Apostolus locutus fuerit? De Christine, an de hominis? Christum enim verè esse mortuum, contra *Gnosticos*, ἀφθαρτοκλήτας & ἡσθησιασχήτας, Scriptura manifestè docet, Es. LIII. 9. Dan. IX, 26. Rom, V, 8. 9. 10. Matth. XXVII, 50. Marc. XV, 37. Luc. XXIII, 46. Joh. XIX, 30. 33. 38. seqq. Sed & mortuum Eum esse pro Justificatione & Salute Nostrâ, certâ fide credimus, Es. LIII, 4, 5. 1. Joh. I, 7, Rom. V, 8. 9. 10. Certum

tum igitur est, homines peccatores non potuisse justificari, nisi per mortem Christi. Postquam verò is mortuus est, acquisita nobis per ejus mortem fuit Justificatio à peccatis. Verum, quanquam hoc ita sese habeat, statuendum tamen non est, Apostolum hoc locò de Christi morte locutum esse. Loquitur enim de morte multorum, qui vera fide in Christum à peccatis justificati sunt, quales, non Christus, sed homines sunt, pro quibus Christus est mortuus.

§. V. Neque tamen de homine in quolibet Statu consideratō intelligendus præsens locus est. Status enim integritatis uti nullum admittebat peccatum, ita quoque liber erat à morte, utpote quæ à peccatō est. Gen. II, 17. Rom. V, 12. Cap. VI, 23. Unde si homo in Statu Integritatis perstitisset, non solum absque peccato, sed & absque morte vixisset, nulliusque Justificationis à peccatis opus habuisset.

§. VI. Intelligendus est ergo homo lapsus, & in quantum considerandus nobis est in Statu *Ira*, *Gratiae*, & *Gloriae*. Unde varia hominis mors secundum Scripturam sese considerandam præbet. Quod si enim is ut Totum Integrale spectatur, partes habet duas, Corpus nimirum & Animam. Hoc igitur respectu datur Mors *Totius*, & datur quoque Mors *Partis*. Ratione partis datur mors *Corporis* & *Anime*. Mors Corporis denuò aut *partialis* & *inadequata* est, aut *totalis* & *adæquata*. Illa est corporis, quamdiu homo in Regno Potentiæ & Gratiae vivit. Rom. VII, 24. Hæc per cinerificationem perficitur. *Anime* Mors alia est bona & salutaris, quando homo peccatis moritur, id quod in Statu Gratiae, & imprimis in Articulō Sanctifi-

cationis & Renovationis fieri consuevit, Rom. VI, 2. 4. Mala contra, & pernitiōsa consistit in peccatorum seruitio, Rom. VI, 6. pertinetque ad Statum Peccati & Iræ. Mors denique *Totius* est vel temporalis, vel æterna. Illa communiter mors appellatur, quando nimirum totus homo certo modo interit, e. g. quando impius moritur, quod denuò variè fieri potest. Æterna autem mors est condemnatio æterna, sive *Mors secunda*.

§. VII. Unde porro homo juxta diversos Status spectatus, suggerit nobis mortem *Naturæ*, *Gratiæ*, & *Gloriæ*. Mors *Naturæ* est separatio animæ hominis ab ejus corpore, consistitque non solum in suprema exhalatione animæ, atque adeò in dissolutione ejusdem à corpore, sed & in variis calamitatibus & miseriis, quæ cum eadem conjunguntur, eamque vel antecedunt, vel concomitantur. Atque hæc mors non solos abripit impios, sed & pios. Mortui enim etiam Patriarchæ optimi sunt. Gen. V, 1. seqq. Mortuus est Abrahamus & Prophetæ, Joh. VIII, 52. Mortuus est Moses, Servus DEI fidelis, Num. XII, 7. Deuter. XXXIV, 5. 6. Moriebantur & Lazarus pius, & epulo impius Luc. XVI, 22. Mors enim omnes omnino homines transivit, Rom. V, 12. Unde Status Naturæ & Gratiæ hic nullum agnoscit discrimen, quanquam enim Christus, Redemptor, credentes ab omnibus huic morti adherentibus calamitatibus liberaverit, quæ impios tamen manent, atque ita illud, quod pœnæ propriè sic dictæ rationem habet, à credentibus abstulerit, eamque iis mortem in medicinam, somnum, & abitum in pacem mutaverit, Luc. II, 29. Phil. I, 23. Es. LVII, 2. Dan. XII, 13. Joh. XI, 11. mansit tamen apud hos quoque separatio animarum ab eorum corporibus. §. VIII.

§. VIII. Mors *Gratiæ* consistit in separatione Dei Gratiofi ab homine peccatore, & quidem impœniten- te. De hac Christus locutus est Luc. XV, 32. & Paulus Eph. II, 5. I. Cor. XV, 26. Ebr. II, 14. Complectitur hæc mors *reatum* tam *Culpæ*, quia peccatum est, quam *Pœnæ*, quoniam in ira divina consistit, adeoque hominem non solum peccatorem, sed & condemnatum coram Deo constituit, solosque ita non credentes afficit, à credentibus verò abest. Unde Statum iræ à Statu Gratiæ distingvit, soliusque Status Iræ propria est. Qui enim in Statu Gratiæ vivunt, credentes sunt. Et qui credunt, vivunt. *Iustus enim fide suâ vivit.* Hab. II, 4. Rom. I, 17. Gal. III, 12. Hebr. X, 38. Et quoniam mors Naturæ, quatenus consideratur ut separatio animæ à corpore, à Christo fuerit tolerata; mors tamen Gratiæ ab eodem longissime semper abfuit. Est enim hæc mors quoad reatum culpæ, ipsum peccatum, à quo Christus immunis fuit, Joh. VIII, 46. 2. Cor. V, 21. Hebr. VII, 26. Verum quemadmodum peccata hominum sustulit Joh. I, 29. ita & mortem hanc per passionem & mortem suam ab hominibus abstulit, Es. LIII, 2. seqq. Hof. XIII, 14. I. Cor. XV, 54. 55. 56.

§. IX. Mors tandem *Gloriæ* est separatio DEI Gloriosi ab homine non credente & æternum damnatō, diciturque *Mors Secunda.* Apoc. XX, 15. quia primam sequitur, Statuique Gloriæ directè opposita est. Communiter etiam *Infernus* & æterna condemnatio appellatur, quæ tanta est separatio, ut nullus condemnatorum unquam ad DEUM redire possit. Luc. XVI. 26. Atque hanc quoque mortem Christus certō modo pro nobis tulit, & à nobis abstulit. Quando enim

pro-

proprie accipitur, pro doloribus nimirum infernalibus, certum est, Christum eosdem sensisse & pertulisse; quod si autem *circumstantialiter* spectatur, cum circumstantiis nimirum $\pi\delta$ & *ævi*, ideo in Christo locum non habuit, quia ejus Persona infinita & æterna est, adeoque non opus habuit, ut *æternum* pateretur, sed sufficiebat, quod in certo temporis interstitio æternas pœnas perpeti poterat, quod nemo hominum, utpote finitus, præstare potest. Unde homines damnati æternum puniuntur. Quamquam enim Christus hujus mortis ablationem omnibus omninò hominibus *acquiverit*; homines tamen non credentes eandem sibi nec applicant, nec applicationem admittere volunt. Unde propter defectum medicinæ, quem ipsimet sibi adducunt, æternum moriuntur & puniuntur.

§. X. Nunc quæstio oritur, quænam mors ab Apostolo in loco nostro intellecta sit? B. *Balduinus* in *Analyfi & Explicatione* hujus loci hunc in modum differit: *Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato; quæ Generalis Sententia est, & hoc in locò geminum habere potest sensum: Vel enim intelligitur de morte naturali, in qua demum hominis plenaria fit liberatio à peccatis, & omni aliâ servitute, per crucifixionem autem Christi nos mortui sumus peccato: ergo cessamus à peccando, & exempti sumus à servitute peccati: vel de civili morte potest accipi, hoc sensu: Civiliter mortui nullis servitiis sunt obstricti: Justificati per crucifixionem Christi mortui sunt peccatis, Ergo nullis servitiis amplius peccato sunt obstricti. Hæc Balduinus.* Placet nobis prima interpretatio. Nam omnes homines credentes, qui mortem naturæ obierunt, justificati sunt à peccatis, neque amplius peccare solent

solent

solent aut volunt. Cæterum nec mors Gratia, nec Gloria hic locum invenit. Qvi enim mortem Gratia perpetiuntur, non possunt non peccare, omniaque destituuntur fide, unde nec justificantur à peccatis, neque iisdem servire desistunt. Similiter qvi mortem æternam & Gloria subierint, tantum abest, ut sint à peccatis justificati, ut contra æternum damnentur, & sub acerbissimis cruciatibus peccare non desinant.

§. XI. Atque hæc de morte. Nunc quoque de Mortuis dicendum est. Intelliguntur autem mortui homines. His enim Mors ceu pœna pro peccatis est decreta. Gen. II, 17. Sunt verò homines mortui duplices: Alii credentes, alii non credentes Joh. III, 18. Marc. XVI, 16. Illi moriuntur in fide. Atque hi sunt fideles illi, quibus DEUS coronam vitæ non solum promisit, sed & dabit. Apoc. II, 10. Hi perseverant usque in finem, & salvi fiunt. Matth. X, 21. XXIV, 13. Hi certamen bonum certant, cursum consummant, fidem servant. Inde reposita est ipsis corona Justitiæ, quam reddet ipsis Dominus in illâ die, justus Judex, 2. Tim. IV, 7. 8. Hi accipient hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conservatam in cœlis, quia in virtute DEI custoditi sunt per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo, in quò exultabunt. 1. Petr. I, 4. 5. 6. Nam, tanquam servi boni & fideles, quia super pauca fuerunt fideles, super multa constituentur, & intrabunt in gaudium Domini sui. Matth. XXV. 23. Venient ut benedicti Patris cœlestis, & possidebunt paratum ipsis Regnum à constitutione mundi vers. 34. Tales autem oportet esse absque peccatis. Quoniam nihil,
 B quod

quod impurum est, in cœlum introibit: Justificati ergo à peccatis sunt, quotquot post mortem cœlestis gaudii volunt esse participes.

§. XII. E contrario autem non credentes quemadmodum damnabuntur, Marc. XVI, 16. ita propter fidei defectum in condemnationem illam sese præcipitabunt. Et quemadmodum sola fides justificat & salvat; ita ex oppositò sola incredulitas hominem damnat, uti Christus locò jam ex Marcò laudatò manifestè docet. *Qui enim non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Filii Dei.* Joh. III., 18. Omnis ergo, qui sine fide decedit ex hac vitâ, in peccatis moritur, & ab iisdem non justificatur. Peccatum enim erat illud medium, propter quod homines per judicium in condemnationem ad mortem perveniebant. Rom. V, 16. Unde Salvator Judæis peccatoribus dicebat: *In peccato vestro moriemini.* Joh. VIII, 24. Et porrò v. 24. *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatò vestrò.* Vi nimirum primæ illius comminationis propter peccatum factæ, Gen. II, 17. Omnes igitur, qui absque pœnitentia ac fide ex vitâ decedunt, excludit Apostolus à participatione Prædicati, quia non justificantur à peccatis. Unde etiam audient olim vocem Judicis justissimi: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Matth. XXV, 41. *Et ibunt in supplicium æternum.* v. 46. *& ibidem æternum cruciabuntur.* Luc. XVI, 25. Non aliam ob causam, quàm quia non justificati sunt à peccatis.

§. XIII. Cùm verò omnes omninò homines, in hoc mundo viventes, peccatores sint. *Omnes enim pec-*

pec-

peccaverunt, & egent gloriâ Dei. Rom. III, 23. Unde & mors in omnes homines pertransiit, quia omnes peccaverunt. Cap. V, 12. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ps. XIV, 1. Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? Job. XIV, 4. Jam verò omnis homo in iniquitatibus conceptus est, & in peccatis quemlibet concepit mater sua. Ps. LI, 7. Et quicquid natum est ex carne, caro est. Joh. III, 6. Unde ut naturâ sumus filii iræ, ita etiam eâdem naturâ mortui sumus in delictis & peccatis, in quibus etiam ambulamus, secundum seculum mundi hujus, secundum principem potestatis hujus, Spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentie. Ephes. II, 1. 2. 3. Quin imò peccatum homines, quamdiu in hoc mundo agunt, circumstat, Hebr. XII, 1. Ἀμαρτία περιστατῶν est. Unde etiam peccatum vestimentis & armis, quibus homo induitur, comparatur. Rom. XIII, 12. Ephes. IV, 12. seqq. Videtur proinde ex iis, quæ hætenus allata sunt, ultrò sequi, hominem non posse absque peccatis mori, cum semper, & quam diu vivit, peccator existat. Facti enim sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruate universa justitie nostræ. Es. LXIV, 6. Et cum fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis, dicere oportet: Servi inutilis sumus. Luc. XVII, 10. Quâ igitur, obsecrote, ratione, homo à peccatis per mortem justificatus existere potest?

§. XIV. Nodus hic ut commodè solvatur, observandum erit, Peccatum, monstrum istud horrendum, informe, ingens, sub varia nobis forma considerandum esse, quò pro varietate respectus, varia

B 2

etiam

etiam ipsi Prædicata attribui possint. Est enim Peccatum alter Proteus, non fabulosus, sed verus, pessimus tamen. Et *primò* quidem sub formâ extremæ malignitatis illud se nobis sistit quoad *Reatum*, qui duplex est, alius *culpa*, alius *pæne*, de quò pro varietate peccati variè sentiendum & loquendum est. Nam in *Peccatò originali* præter radicem inhærentem, quæ in sese turpis & abominabilis est, recteqve *macula* appellatur, offert sese relatio ad personam, cui inhæret, & quam denominat, eidemque infligit *reatum culpa*, quæ personam afficit, unde talis persona *damnabilis evadit*. Ex quò fonte originem traxit *Reatus pæne*, quam persona propter maculam & peccatum illud promeretur. Ita similiter in *Peccatò Actuali*, præter *actum turpem*, qui in se turpis, & legi contrarius est, datur *reatus culpa*, quæ personam afficit & maculat, & præterea *reatus pæne*, sive obligatio ad pœnam, ob quam de jure & justè homo puniendus est. Clariùs: *Reatus culpa* est ipsa macula, quæ homini per peccatum inuritur, & per quam offensa Dei contrahitur. Contra *Reatus pæne* est ipsa Dei offensa, per culpam contracta. Per illum homo peccator est *injustus*, quia contra legem Dei justam peccat: Per hunc autem est *puniendus & plectendus*, quoniam iram Dei & pœnam promeruit. Ille respicit *legem Dei*, contra quam homo erravit; hic *comminationem legi annexam*. Unde *Reatus culpa* æstimandus est ex *Dei lege*; *Reatus autem pæne* ex clausula Decalago adjunctâ. *Reatus culpa* tunc locum habet, quando homo peccator *Reus judicii divini* est & dicitur: *Reatus autem pæne* regnat, quamprimum idem peccator mortis reus est & appellatur.

§. XV.

§. XV. Porro alii de Peccato sub hoc respectu agentes, ita differunt. Peccati *formale*, inquit, est duplex, *Avouia* nimirum & *Reatus*. Illa est peccati formale absolute considerati, sive est deflexio à lege Dei, 1. Joh. III, 4. *Reatus* autem est formale ejus relatè spectati, seu obligatio ad pœnam, iuxta comminationes Legi divinæ adjectas. Ex qua explicatione apparet aliqualis discrepantia ab iis, quæ antecedente numero allata sunt, quæ tamen neminem turbare debet. Non enim in rebus ipsis, sed partim in verbis, partim in variis considerandi modis consistit, unde facile conciliari apparenter contradicentia possunt. Quanquam ego mallem superioribus inhære, & præterea posteriora hæc ita declarare, quod duplex formale allatum utrumque sit *relatè* intelligendum. Et primum quidem in relatione ad Legem, secundum vero in relatione ad Legis comminationem, seu ad Legis clausulam. Vel etiam hoc modo: Peccatum quando consideratur ut *avouia*, tunc referendum erit ad Legem ceu Normam; quando vero spectatur, ut reatum habens, tunc referendum est ad pœnam. Vel: Peccatum ratione *avouias*, deficit, ratione autem reatus *officit*. Ibi enim aberrat à norma; hic vero infert pœnam, adeoque officit homini peccatori. Et hoc quidem modo habet se peccatum ratione Reatus spectatum.

§. XVI. Considerandum autem porrò etiam peccatum est ratione *Dominii*, quod Peccatum in homine exercet, quoties is citra poenitentiam vivit. Et de hoc *dominio*, quod pessimum verèque Tyrannicum est, Paulus passim loquitur, & pie conqueritur. *Re-*
gnavit

gnavit peccatum in mortem, scribit Rom. VI, 24. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neq; exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis, peccato. Peccatum enim vobis non dominetur.* Cap. VI, 12. 13. 14. Exercet igitur eo tempore peccatum in homine dominium suum, quando is obedit concupiscentiæ malæ, & tanquam arbor mala malos fructus profert, Matth. VII, 17. In tali homine Concupiscentia non solum concipit, sed & peccatum parit, imò peccatum consummat, & mortem generat. Jac. I, 15. Dominium sane ut grave, ita minimum sterile. Copiam fructuum Paulus incipit recensere, Gal. VI, 9. 20. 21. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, emulationes, ira, rixæ, dissensiones, sectæ, invidia, homicidia, ebrietates, comeffationes, & bis similia.* Ecce, non in Numero singulari, sed Plurali exprimit pessimos hosce fructus, & iubnetit: *bis similia*, ut nos admoneat, ingentem & pene inenarrabilem esse numerum peccatorum, quæ ex peccati dominio oriuntur. Et huc quidem pertinent non solum Pharaones indurati, ut & cæteri homines nondum conversi, sed & ex Regenitis isti, qui & relabuntur, & postquam relapsi sunt, peccatis indulgent. Qualis peccator erat David in enormia peccata non solum lapsus, sed & aliquantisper in iisdem hæsitans, & alia præterea peccata perpetrans.

§. XVII. Neque hic peccati moles sistitur, sed spectandum quoque nobis præbet *sui sensum*. Est enim peccatum *morbis*, Esa. LIII, 4. *cujus se sensus in corpore humano ultrò exferit.* Est *sentis*, *cujus aculei*
 non

non quiescunt, sed pungendo sui præsentiam produnt. Est *stimulus mortis*, I. Cor. XV, 16. Ergo stimulat, & ut sentiatur, facit. Sentitur autem multis modis. Sentitur in morbis, quorum causa est. Unde Hiskias sub morbo *sicut pullus hirundinis clamabat, & meditabatur ut columba*, Esa. XXXVIII, 14. Cur? *Ægrotabat usque ad mortem*, v. 1. Ex ingenti hoc sensu querebatur: *Vadam ad portas inferi*. v. 10. *Non videbo Dominum Deum in terrâ viventium, non adspiciam hominem ultra, & habitatorem quietis. Generatio mea ablata est, & convoluta est à me quasi tabernaculum pastorum: præcisa est velut à texente, vita mea: dum ad huc ordire, succidit me, de mane usque ad vesperam finies me. Sperabam usque ad mane, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea: de mane usque ad vesperam finies me*. v. 11. seqq. Similiter sentitur in verâ pœnitentiâ. Inde David pœnitens, Psal. VI, 3. seqq. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valde. Porro Psal. XXXVIII, 3. seqq. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum. Adde querelas* vers. 5. & sequentibus, magno numero effusas. Atque hic sensus peccati in solis Renatis aut Renascendis, quando in statu conversionis existunt, deprehendi potest. Nam in induratis, & non pœnitentibus, hic sensus se non exerit. Atque huc spectant querelæ divinæ super cordibus lapideis, & similes.

§. XVIII. Tandem etiam in Peccato confiderare necesse est *Fomitem & Radicem*, unde peccata actualia, originem trahunt. Hæc radix homini post lapsum
babit-

habitualis est, eidemque, quam diu homo in hoc mundo vivit, habitualiter inhæret, Hebr. XII, I. semperque adest. Unde etiam, nec per remissionem quidem peccatorum *plane penitus* in vitâ tollitur, aut eradicatur. Jure dicitur *radix*. Quemadmodum enim, etiamsi arbor aliqua, non solum quoad ramos, sed & quoad truncum amoveatur, si radix in terra remanet, dici non potest, quod universa arbor eradicata aut prorsus abolita sit. Manente enim radice, repullulare suo tempore solet arbor, atque si ei crescendi spatium datur, eadem arbor revirescit, & integra invadit. Eodem modo etiamsi peccatum peccatori verè penitenti remittatur; enim verò tamen, si ejus radix relinquitur, uti certe in hac vita relinquitur, redit ex eadem radice peccatum, si non idem numero, attamen idem specie. Unde *B. Lutherus* peccatum quoad radicem comparare solitus est barbæ crinibus. Barbæ enim crines etsi per barbætonsores detondeantur, radices tamen relinquuntur, ex quibus post biduum, aut triduum nova barba enascitur. Simile quid fit in peccatis, & eorum remissione. Nec minus recte dicitur fomes. Nam quemadmodum, si ignis flamma extingvitur, non potest dici, quod omnis ignis extinctus sit, si ejus fomes relinquitur. Quoniam ex fomite novus ignis enasci & prodire solet. Quemadmodum enim anguis sub herbâ latet, ita & ignis latitat sub cinere & in fomite. Hoc vero modo spectatum peccatum in omnibus hominibus, etiam piis & credentibus relinquitur, quam diu in his terris vitam agunt. Unde hoc pacto catholicum & universale est. Cum è contrario *Sensus peccati* in solis hominibus sit, qui

qui ad peccati agnitionem perveniunt, ideoque contritionem cordis fovent. Dominium quoque peccati non est in omnibus. Qui enim vere renovantur, & sanctimoniam student, in illis dominium illud locum tueri non potest, sed potius extirpatur & annihilatur. Reatus autem in Justificatis non invenitur, tollitur enim per imputationem justitiæ & obedientiæ Christi satisfactoriæ, quanquam reperiatur in non justificatis.

§. XIX. His ita præmissis, docendum porro est, quo pacto homo peccator pro diversitate horum respectuum, etiam diversimode à peccatis justificetur. Apparet illud discrimen ex diversis Fidei Articulis, qui juxta Scripturæ normam diserte à se invicem distinguuntur; insignemque illa distinctio utilitatem habet, quæ manifeste evincit, errare istos enormiter, & discipulos non instruere, sed confundere, qui Theologiam Theticam, in quâ discrimen Articulorum perspicue, & ex veris fundamentis erutum traditur, in contemptum attrahunt. Neque enim ea docendi methodus Scripturæ quicquam præscribit, aut eripit, sed potius ipsam Scripturam ex Scriptura, & per Scripturam cognoscit, & quæ in ea distincta sunt, distincte tradit, & prius manu ductio ex Scriptura, quàm ad Scripturam existit. Simili modo ut Grammatica ex Autoribus Clasticis ante excerpenda est, quàm ad eosdem Authores facilius feliciusque intelligendos discipulos reducit. Quemadmodum ergo Doctor iste, qui linguam aliquam absque Præceptis Grammaticis discipulos docere audet, male docet, magisque confundit eos, quàm distincte instituit; Ita etiam Theologus

C

Theo-

Theologiam absque ejus generis libellis methodicis tracturus, lapidem lavabit, & Æthiopes dealbabit. Apparere hoc clarius poterit ex præsentì Themate. Faciat enim aliquis periculum, an se citra auxilium Theologiæ methodicæ extricare possit ex difficultatibus illis, quæ de justificatione hominis à peccatis sese passim offerunt; experietur certe, id commode fieri non posse. Poterit autem fieri, si hoc filum Ariadnes adhibuerit, id quod etiam sequentia evincent.

§. XX. Nam si quis ex Textu nostro asserat, quoniam *mortui à peccatis justificentur*, sequi exinde, nullam ante mortem dari justificationem à peccatis, frustraneam igitur esse omnem pœnitentiam ante ultimum mortis halitum, deceptoriam esse vocem Ministrorum Ecclesiæ, quâ hominibus ante mortem peccatorum remissionem annunciant: falsam esse assertionem Christi, Paralytico ante mortem dicentis: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, Matt. IX, 2. Temerariam esse fidem eorû, qui ante mortem sibi peccata remissa esse, credant, & quæ similia ex eodem fonte derivari possunt; facile hæc dubia solvet Theologus methodicus, minus facile qui Theologiam methodicam contemnit, aut rejicit. Docebit enim hic justificari hominem à peccatis, & quidem à *peccatorum reatu & malignitate*, in Articulo *Regenerationis & Justificationis*. Quando enim homo regeneratur, tollitur quidem ab eo peccatum, verum non quoad omnia, quæ in peccato sunt, & in eodem spectari debent: Neque enim removetur peccati *fomes* aut *radix*, quippe quæ semper homini, quàm diu vivit in hoc mundo, adhæret. Hebr. XII, 1. Neque porro omnis peccati *sensus* aut
domi-

dominium tollitur. Homo enim regeneratus in vita permanens, & sentit peccatum adhuc in se esse, & non raro eidem dominium concedit. Apparet illud vel solis Davidis & Pauli exemplis, quæ utrique regeneriti erant Unde Paulus Rom. VII, 15. Non quod volo, hoc facio, sed quod odi, illud facio. v. 17. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. v. 18. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. v. 19. Non enim quod volo, bonum, hoc facio, sed quod nolo, malum, hoc ago. v. 20. Si autem, quod nolo, illud facio: jam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum. v. 21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. v. 22. Condelector enim Legi Dei secundum interiorem hominem. v. 23. Video autem aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis mee, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. v. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Habes Confessionem Pauli. Erat is regeneratus, quia juxta v. 15. & 19. vult bonum, & quidem spirituale: juxta v. 16. consentit Legi, quæ bona est: juxta v. 21. vult facere bonum spirituale; juxta v. 22. condelectatur Legi Dei secundum interiorem hominem, adeoque habet interiorem hominem, qui in nonregentis existere nequit: juxta v. 23. Habet Legem mentis suæ, quæ repugnat legi in membris ejus: hoc est: habet & intelligit Legem divinam, eidemque assensum præbet, & eam approbat, quod regentorum est. Verum hic idem regeneratus Paulus, quod & peccatum sentiat, eique dominium aliquale concedat, ex eo manifestum evadit. Quia juxta

juxta v. 15. hoc agit, quod odit, v. 16. fatetur, habitare in se peccatum: v. 18. negat, habitare in se bonum, v. 20. affirmat, habitare in se peccatum, v. 21. adjacere sibi malum, concedit. v. 23. habet aliam legem in membris suis, quæ repugnat Legi mentis suæ, & captivat Paulum in lege peccati, quæ est in membris ejus. v. 24. Infelix homo est, liberandus de corpore mortis hujus. Talis certe homo peccatum non solum sentit, sed & ei aliquale dominium permittit, & tamen regeneratus est, atque ita vi Regenerationis à peccatis justificatus, ratione nimirum *reatus*, malignitatis & condemnationis. Id quod quidem etiam in morte fit, verum non solum, sed & ratione reliquorum peccati respectum, ut paulo post dicemus.

§. XXI. Similiter in Articulo etiam Justificationis homo à peccatis justificatur & absolvitur. Unde Christus Matth. IX, 2. *Confide fili, remissa tibi sunt peccata tua.* Hoc intelligens David, Psal. XXXII, 5. inquit: *Delictum meum cognitum tibi (ô Deus) feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu NB. remisisti impietatem peccati mei.* Similium Textuum sacer Codex plenus est. Quod autem in hoc Articulo peccata quoad *reatum* & condemnationem remittuntur, id manifeste Paulus testatur Rom. VIII, 1. *Nihil ergo nunc damnationi (ιδεν κατάνεμα) est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Unde Christus dicit, Matth. IX, 2. *Confide fili.* Confidere autem non potuisset, si reatus peccati reliquus mansisset. Ubi autem *reatus* ablatus est, ibi valet illud Pauli Rom. V, 1. *Justificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum.* Si reatum peccati David
reti-

retinuisset, non potuisset, juxta Psal. VI, 10. II. cum gaudio exclamare: *Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit. Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, & erubescant valde velociter.* In quo enim peccati reatus manet, in illo quoque manet maledictio. Ubi autem maledictio, ibi & ira Dei juste irati. Ubi hæc, ibi *Deus in furore suo arguit, & in ira sua corripit peccatorem.* Psal. VI, 1. Tali enim peccatori *sagittæ divinæ infixæ sunt, & confirmat super eum manum suam. Non est sanitas in carne ejus, à facie iræ suæ: non est pax ossibus ejus, in facie peccatorum suorum. Quoniam iniquitates ejus supergressæ sunt caput ejus, & sicut onus grave gravatæ sunt super eum.* &c. Psal. XXXVIII, 3. seqq. Manent verò in homine ante mortem justificato non solum peccati fomes & radix, sed & sensus, & sæpissime etiam dominium, quod denuo exempla Davidis, & Pauli, præter alia complura manifeste demonstrant.

§. XXII. Quoniam ergo in homine ante mortem justificato hæc residua permanent, quæ Deo tamen placere nequeunt, Psal. V, 5. inde opus erat, ut ea quoque certo quodam ordine ab homine removerentur. Unde Deus præter *Articulum Regenerationis & Justificationis* etiam *Articulum Renovationis & Sanctificationis* saluberrime ordinavit, utpote in quo aspidis illius nocentissimæ alterum venenum, *dominium* scilicet, tollitur. Cum enim in *Regeneratione & Justificatione* peccatum quoad *Reatum* remittitur, atque ita homo à condemnatione liberatur, reliqua tamen *Radix & Fomes* in carne, sive in homine, quoad carnem considerata permanet. Hæc Radix eodem modo se habet, ut Radix

herbæ, aut arboris. Etiam si enim herba refecetur, aut arbor decidatur; quando tamen radix in terra hæret, nova protrudit germina, ex quibus novæ herbæ, & novæ arbores renascuntur. Sic eodem modo, quanquam peccatum, quoad Reatum amoveatur ab homine, quia tamen Radix ejus permanet in carne, facit illa, ut primo *sentiatur*, & porrò, si sensus homini non est molestus, sobolescit magis atque magis, atque, nisi impediatur per quotidianam pœnitentiam, augetur, & tandem in hominibus impœnitentibus in *dominium* degenerat, quod ubi reperitur; ex homine bestiam facit, Deoque istum inimicissimum reddit. Illud ne fiat, dedit Deus nobis ex summa Gratia *Renovationis & Sanctificationis* beneficium, per quod homo pius & sanctus dominio se peccati opponit, illudque enervat, & tandem eò per Gratiam divinam redigit, ut amplius dominari nequeat. Atque sic tollitur dominium. Indicat id Scriptura Sacra per veteris hominis depositionem, & novi induitionem. Inde Paulus Ephes. IV, 22. 23. 24. scribit: *Deponite vos, secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ. Et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Alio loco eandem rem delineat per arma, & eorum depositionem & assumptionem. Rom. XIII, 12. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis.* Arma appellat, quia per ea dominium peccati tollitur, quemadmodum per arma bellica dominatus Tyranni everti solet. Spectat huc idem Paulus Rom. VI, 11. - 14. scribens: *Ita existimate, nos mortuos quidem esse*

esse

esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu, Domino nostro. Non ergo NB. regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus: sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra, arma justitiae Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. In eodem. Capite v. 3. 4. 5. Apostolus dominium peccati mortem, ejus autem sublationem resurrectionem ex mortuis appellavit. An ignoratis, quia quodcumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus. Per Sanctificationem igitur & Renovationem illud in homine efficitur, ut peccatum, ejusque vis & malitia indies magis atque magis impediatur, & è contrario homo justificatur Deo serviat in Sanctitate & Justitia, quae Deo complacet. Luc. I, 74. 75. Fit consors divinae naturae, fugiens ea, quae mundi sunt, & concupiscentiae corruptionem. Unde omnem curam subinfert, ut ministret in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. 2. Petr. I, 4. - 7.

§. XXIII. Sublato peccati dominio relinquitur tamen in homine vivente non solum sensus, sed & fomes & radix ejus. Quamdiu enim homo vivit, identidem peccatum sentiet, si praecipue salutis suae rationem habere, & conscientiam suam juxta Legis rigorem examinare voluerit. Suggestit enim tale examen Conscientiae stimulos, quibus exagitata vere sentit, peccatum

catum

catum in se esse, quemadmodum cervus telo vulneratus dolorem sentit, qui à telo efficitur. Et quanquam dolor ille pro varietate peccatorum variet, negari tamē non potest, minima etiā peccata ab homine, inprimis vere pœnitente, sentiri. Exempla habemus in Davide, Psal. VI. & XXXIIX. Nec non in Publicano, Luc. XIIIX, 13. Quin imò in impœnitentibus quoq; is sensus reperitur. Unde Cain ex tali sensu conqverebatur, Gen. IV, 13. *Majus est peccatum meum, quam ut remitti possit.* Quemadmodum illud etiam Judas fatebatur, Matt. XXVII, 4. *Male feci, dum sanguinem innocentem prodidi.* Exferit se autem sensus ille in hominis præcipue anima, quippe quæ intelligit non solum culpam contra justissimam Dei voluntatem commissam, sed & iram Dei certissimam, & inde pœnas æternas juste ortas. Inde David peccata sua sentiens conqveritur, Ps. VI, 3. 4. *Conturbata sunt ossa mea, & anima turbata est valde.* Neqve id tantum accidit in pœnitentiæ actu; sed & memoria hominis post pœnitentiam & remissionem peccatorum acquisitam, sentit & recordatur peccatorum antea ab homine commissorum, qui tamen sensus in homine salutaris potius, quàm noxius est.

§. XXIV. Hic peccatorum verò *sensus*, unà cum *radice* eorum & *fomite*, in morte hominis credentis auferitur. Nam si quis pie moritur, in eo animæ & corporis realis fit solutio & separatio. Et tunc anima in cœlum abit, in quod nihil, quod impurum est, intromittitur. Ergo ab anima peccatum omnimodo ab eadem anima abesse debet, non solum ratione *reatus* & *dominii*, sed & quoad *sensum* & *fomitum*. Et corpus, quod *δὸς τοῦ ἁμαρτίας* *δὸς τοῦ ἁμαρτίας* est, peccati domicilium amplius esse

esse nequit, quia secundarium & mediatum absq; primario & immediato existere non potest. In Articulo igitur Mortis plenarie homo à peccatis justificatur, cum nec reatus, nec dominium, nec sensus, nec domicilium, nec radix, neque fomes ejus existere amplius in homine possit. Illud verò inter eruditos controvertitur. Tollaturne peccati fomes aut radix in morte, an deum in corporis cinefactione. Sunt, qui prius affirmant; sunt qui posterius defendunt. Quamquam verò certum esse videatur, fomitem peccati in ipsa animæ à corpore solutione, seu morte, tolli, cum non corpus, sed anima primum & immediatum peccati Subjectum sit; Prostant tamen rationes, quæ contrarium suadent. Nam primò distingvendum est inter corpus animæ uniendum, & inter illud corpus, quod animæ unitum fuit, & ab eodem iterum separatur. De priori corpore rectè asseritur, quod in eodem peccatum esse nequeat, quia ejus Subjectum secundarium & mediatum est, in quo peccatum prius inveniri non potest, nisi prius sit in animâ, tanquam in primario Subjecto. In corpore verò animæ unito, in quod peccatum ab animâ unita jam transiit, peccatum, quod transiit, permanere potest, etiamsi anima à corpore separata sit. Quemadmodum cicatrix in corpore etiam mortuo manet reliqua ex vulnere, quod homo vivus in vita accepit. Quinimo homo animatus etiam in vitâ retinet vulneris cicatricem, etiamsi à vulnere sanatus sit. Deinde quamquam in corpore clarificatio nulla peccata, ne quoad radicem quidem, locum habere possint, attamen quoniam hominis mortui corpus statim post mortem nondum est clarificatum, absurdum

D

non

non est, in eodem peccatum quoad radicem & fomitem usque ad cinefactionem residere, & tolli tandem in cinefactione. Tandem quid statuendum erit de bismortuis, quales erant, Luc. VII, 12. seqq. Matth. IX, 18. Joh. XI, 17. seqq. Actor. IX, 36. XX, 7. An etiam in iis post primam mortem peccata à corporibus prorsus exularunt, ita ut nec quoad fomitem & radicem residua permanserint, cum à corporibus eorum animæ fuerint solutæ? Credibile non est. Unde verosimile est, in corporibus hominum nondum gloriosis permanere peccata, minimum quoad radicem & fomitem usque ad eorum cinefactionem.

§. XXV. Ex hucusque allatis concludimus, tolli quidem peccata ab hominibus pœnitentibus in Articulô Regenerationis & Justificationis quoad reatum; in Articulô Sanctificationis & Renovationis quoad Dominium, sed tandem in Articulô Mortis quoad sensum in ipsâ Morte, quoad fomitem verò & radicem in cinefactione. Et horum respexisse Apostolum in Textu nostro asserentem, *hominem mortuum à peccatis justificari*, certum est. Poterat verò illud quoque in quæstionem venire, an non ex corporis putredine, post mortem illi incumbente, concludendum sit, peccatum etiam post mortem in corpore hominis reliquum permanere? Videtur enim putredo corporis ex peccatô originem habere. Unde & Christus, qui absque peccatô erat, putredinem expertus non est. Psal. XVI, 10. Act. II, 27. 31. Cap. XIII, 35. Verùm responderi potest primò, quod putrefactio corporis humani non sit *malum culpæ*, nec *defectus moralis*, sed *Accidens naturale*. Naturaliter enim quodlibet corpus resolvitur in
sua

sua principia, ex quibus materialiter constat, quàm primum non amplius unitum est animæ. Deinde quod putrefactio corporis naturalis non sit effectus Peccati, ex eò manifestum est, quod corpora vegetiva, e. g. herbæ, arbores, poma &c. quæ omni peccatō destituuntur, nulliusque propter defectum rationis capacia sunt, ordinariè putrescunt. Unde & Christi sanctissimum corpus non ideò putrefactionem non vidit, quia citra peccatum existebat, sed quoniam idem corpus partim in triduo mortis unitum permanebat $\lambda\omicron\gamma\omega$ semper viventi, partim, quia statim tertiâ die à mortuis resurgere debebat, partim etiam, quod secundum justissimam Dei ordinationem Salvatori patiendum & moriendum erat, ita quidem, ut in morte Status Exinanitionis finiretur, & postea statim Exaltationis Status initium sumeret, cum quò putrefactio simul stare non poterat. In homine autem peccatore secus sese res habet. Nam ejus corpus neque $\lambda\omicron\gamma\omega$ personaliter unitum est, neque statim post mortem secundo, tertio aut quarto die resurgere debet, neque mox post mortem ad Statum Glorificationis resurgere potest, sed oportet illud Resurrectionis & Glorificationis tempus expectare. Quinimò neque illorum hominum corpora, qui uno aut altero die ante diem extremum morientur, putredinem videbunt, sed absque eâ resurgentia clarificabuntur, & cum animâ redunita in æternam gloriam transibunt, quod itidem eveniet corporibus credentium putrefactis. Unde colligi potest, putrefactionem, ut sic considerata, non esse Peccati necessarium Consequens, eademque non moraliter, sed naturaliter, non Ethicè sed Physicè tantum accidere. §. XXVI.

§. XXVI. Concluditur nunc ex iis, quæ hæcenus allata sunt, maximum discrimen intercedere inter corpora impiorum mortuorum, & inter corpora piorum. De his loquitur Paulus in Textu nostrò, minime verò de istis. Impii enim uti à peccatis nullò respectu liberantur aut justificantur, ita retinent *corpus peccati*, à quò Paulus liberari se optat. Rom. VII, 24. Pii è contrariò ab eodem prorsus liberantur, unde nihil condemnationis in illis remanet. Rom. VIII, 1. Unde nec est, ut fabulosum ipsis Purgatorium sit metuendum, quippe qui in ipsâ morte sunt purgati à peccatis, nulliusque amplius purgationis indigent, quæ tamen juxta Pontificiorum sententiam Purgatorii finis proprius & proximus est. Quamprimùm enim in fide discedit homo, omnis extemplo respectus ad peccatum simul evanescit, quia juxta Paulum à peccatis justificatur. Neque obstat, quod quædam peccatorum reliquiæ videantur relictæ esse. Nam posito, esse quasdam relictas, non tamen ex iis concludi poterit, quod ipsum peccatum sit relictum: Quemadmodum ex Imaginis divinæ reliquiis, quæ post lapsum in hominibus deprehenduntur, nemo concludere debet aut potest, quod ipsa Imago divina in homine lapso inveniatur: Aut, quemadmodum ex reliquiis quibusdam ædificii post incendium, colligi nequit, ipsum ædificium adhuc reliquum esse. Deinde putatitiæ illæ reliquiæ neque absolutum, neque respectivum peccati formale habent. Unde etiam propriè loquendo, peccata esse nequeunt. Manet igitur firmum, hominem pium in morte ab omni prorsus peccato, quod peccati veri & propriè dicti nomen habet, justificari & libe-

libe-

liberari, id quod Paulus in nostrō Textu asserere voluit.

§. XXVII. Exiis, quæ hucusque allata sunt, apparet non solum, quem *sensum* Apostoli verba habent, sed & quem *usum* nobis præstare valeant. Patet enim inde (1) quod homo, quamdiu vivit, circa justificationem & liberationem à peccatis sollicitus esse debeat. Curandum enim, ut non solum tollatur *peccati reatus* in Articulō Justificationis, sed etiam ut inhibeatur & removeatur ejus *dominium* in Articulō Sanctificationis; nec non ut tandem *sensus, domicilium, fomes & radix istius* prorsus in Morte extirpetur. Hæc est illa cura, de quâ David Psal. XXXVIII, 19. locutus est: *Iniquitatem meam indico, sollicitus sum de peccatō meo.* Quamquam itaque *Sensus* Peccati in se malus sit, ex eventu tamen, homini peccatori utilis evadit, quando occasione ejus peccator intelligit, quod peccator sit, quod in statu iræ vivat, quod damnandus sit, & si damnari velit, quod pœnitentiam agere oporteat.

§. XXVIII. Patet (2) non differendam esse Pœnitentiam usque ad mortem, Psal. XCV, 8. Syr. XVIII, 12. Sed cum quotidie peccamus, quovis etiam die Pœnitentiam esse exercendam, quò justificemur, & per Justificationem *Reatus* Peccati à nobis removeatur, ut nulla *condemnatio in nobis maneat.* Rom. VIII, 1. Cum præprimis certi esse nequeamus, quò die aut horâ mors suppressere nos possit. Poterit enim eò temporis momento, quò imparati sumus, nos opprimere. Hoc autem si fit, nec in morte quidem à peccatis justificabimur. Cohel. XI, 3. Huc tendunt admonitiones Salvatoris, Luc. XXI, 36. Cap. XII, 20. Et Pauli Rom. XIII, 11, seqq. Nec non Petri I. Epist. V, 8, seqq. XXIX.

§. XXIX. Patet (3) Etiam si peccator per veram Pœnitentiam à peccatis justificetur, acquiescendum tamen ipsi non esse, & postea secure agendum. Cùm enim in homine à Peccatis justificatō residua maneat Peccati dominium, sensus & radix, necessitas rei postulat, ut dominium quoque per Sanctificationem & Renovationem è mediō tollatur. Si enim peccati dominium non tollitur, nova identidem peccata nascentur, ut tandem exclamandum fuerit homini: *Iniquitates meae transcendunt caput meum, ut onus grave, graviores sunt, quam perferre queam.* Psal. XXXVIII, 5. *Asequuntur me iniquitates meae, adeo, ut nequeam dispicere, numerosiores sint capillis capitis mei; animus etiam meus derelinquit me.* Psal. XL, 13. Hoc malum igitur ut caveatur, audiendum & sequendum est consilium Pauli. Rom. XIII, 13. 14. *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur habitu, qui luci convenit. Ut interdum, compositè ambulemus, non in comessationibus & Ebrietatibus, non cubilibus, aut lasciviis, non lite & invidia, sed induamur Domino Jesu Christo, & carnis curam non habeamus ad explendas impietates.* Confer Ephes. IV, 22. seqq. 2. Petr. I, 5. seqq.

§. XXX. patet (4) Etiam si peccati etiam dominium in homine per Renovationem aut inhibeat, aut tollatur, nondum tamen hominem propter peccata securum esse posse. Manet enim sensus manet radix & fomes. Quemadmodum ergo Pater familias, quamquam incendiū flamma extincta sit, vigilat tamen & sollicitus etiam de scintillis sub cinere latentibus vivit, seduloque cavet, ne ex iis nova flamma erumpat: Ita & hominem eò magis vigilantem & curantem esse decet, quò certior est, quamdiu vivit, peccatum in se ratione
sen-

sensus & fomitis permanere. Ergo ubi sensus eum de peccati præsentia admonet, ibi vigilandum ipsi est, ne radix revirescat, aut fomes novas flammæ producat. Vult illud Deus in verbô suô. psal. II, II. I. Cor. II, 3. phil. II, 12.

§. XXXI. patet (5) Quoniam peccati fomes & radix usque ad ultimum vitæ humanæ halitum retinetur, Ebr. XII, 1. verum non esse, quod pietastri volunt, posse hominem ad eum perfectionis gradum in hâc vitâ pertingere, ut amplius non peccet, aut dicere cogatur cum Davide Psal LI, 31. *Gratiam mihi fac, ô Deus, secundum benignitatem tuam, secundum amplitudinem miserationum tuarum, dele defectioes meas. Multum abluere me ab iniquitate mea, & à peccatô meô munda me: Nam defectioes meas ego agnosco, & peccatum meum obversatur mihi jugiter &c.* Testatur enim Paulus, quod homo in morte demum à peccatis plenè & prorsus liberetur.

§. XXXII. patet (6) Falsos esse Gratiaë hostes, qui peccatoribus ob Terminum Gratiaë peremptorium, frivole & absque Scriptura assignatum, remissionem peccatorum, adeoque justificationem à peccatis denegant. Quousque enim sese extendit peccatorum numerus, & mortis amplitudo, eousque se etiam extendit gratia divina. *Ideò enim Deus conclusit omnes in inobedientiam, ut omnium illorum miseretur.* Rom. XI, 32. Unde ex Dei parte etiam gravissimis peccatoribus justificatio à peccatis in ipsa morte parata est.

§. XXXIII. Patet (7) Iniquè eum acturum esse, qui ex pauli verbis colligere velit, non esse opus, ut ante mortem pœnitentia agatur, quoniam in morte demum homo à peccatis justificetur. Hæc enim ultima

tima

tima liberatio à peccatis non tollit eam, quæ in Articulò Justificationis & Sanctificationis fit, sed potius præsupponit, eamque suò jure ante se exigat & postulat. Etiam si enim ultimus demum ictus arborem succidendam dejicit, requiruntur tamen multi antecedentes quoque ictus, quibus ultimus demum eo fortior redditur, quò scopus propositus acquiri possit. Et non sufficit ultimus demum halitus ad vitam naturalem confirmandam, sed & antecedentes requiruntur. Quæ igitur Deus conjungit, illa homo non separet.

§. XXXIV. Tandem etiam (8) patet, non frustra aut peccatorem per pœnitentiam ab Ecclesiæ Ministro peccatorum suorum remissionem quærere, aut Ministrum eandem ipsi frustra impertiri, cum in morte demum homo à peccatis justificetur. Indicatum enim supra est, quod & Justificatio & Sanctificatio, & Mors demum hominis negotium suum, suo quodlibet modo, circa peccatorum liberationem expediat. Quæ cum ex superioribus manifesta sint, nolumus hic actum agere. Concludimus potius, Deum calidissime invocantes, ut nos à malo liberet, neque solum in Justificatione reatum, nec tantum in Sanctificatione Dominium, sed & tandem in morte beata sensum, radicem & fomitem peccatorum à nobis plenariè tollat, nosque omnes salvos faciat! Ejus nomini fit laus, honor & Gloria in sempiterna secula.

F I N I S.



